

ta satisfactione Christi, modo explicato, negare donum gratiæ, et auxilium, tamen peccatum in ratione morali debiti, et injuriæ, applicata satisfactione Christi, maneret extinctum licet in ratione maculæ, quantum ad physicam privationem gratiæ maneret, et ita non esset homo intrinsece renovatus non infusa gratia, licet esset extencta ratio injuriæ. Posset etiam Deus tunc punire hominem pœna æterna non propter debitum peccati in ratione injuriæ, sed vel tamquam supremus Dominus, vel propter reatum pœnæ, si non tolleretur per meritum Christi, sed tantum moralis ratio injuriæ, sicut modo etiam remissa culpa, et infusa gratia solet manere reatus pœnæ temporalis. Denique, neque tunc maneret Deus subjectus Christo absolute, neque obligatus, aut debitor, sed sibi ex ratione suæ rectitudinis, et justitiæ, factis illis suppositionibus debitor diceretur, sicut facto pacto et contractu redditur debitor. Et hoc sensu etiam dicit Anselmus, libro II cur Deus homo, capite XIX: « Quod esset injustus Deus, si Filio non retribuere, facta scilicet suppositione, » et voluntate Dei, sicut est explicatum a nobis, quod non ibi negat, sed supponit D. Anselmus.

## ARTICULUS III.

*Utrum ex virtute justitiæ commutativæ procedat satisfactio Christi?*

I. Hucusque explicavimus conditiones requisitas ad rigorem justitiæ in satisfactione Christi, quantum est ex parte ipsius satisfactionis. Restat videre principium a quo fuit elicitata talis satisfactio, et ad quam virtutem pertinuerit illam exhibere; nec enim virtus quæ recompensationem alicujus debiti exhibet præ-

stat pretium, seu valorem in quo fit recompensatio; sicut nec liberalitas præstat pecuniam, quam erogat, sed supponit illam; et virtus solum inclinatur ad utendum tali materia, et faciendum recompensationem. Et quia ubi est diversum debitum variatur, quia est diversa inclinatio (ut patet in redditione debiti religionis vel observantiæ, aut justitiæ propriæ) ideo quando inquirimus de virtute a qua elicitata fuit satisfactio Christi, idem est quod quærere quod genus debiti in hac satisfactione exhibenda servatum fuerit: an genus debiti moralis, vel legalis; an justitiæ commutativæ, vel alterius speciei.

II. Varie in hac parte divisi sunt theologi, et omnes fere opiniones in tres classes distribuuntur. Quidam enim satisfactioni Christi non assignant determinatam virtutem, qui existimant a pluribus virtutibus formaliter processisse, scilicet a charitate, humilitate, obedientia, patientia, etc. quæ a charitate, et religione dirigebantur, et imperabantur. Ita magister Vincentius pagina 274, et pater Vazquez hic disp. VII, cap. VI. Alii a pluribus virtutibus, eminentialiter processisse, quia existimant esse in Christo quamdam justitiam, quæ eminenter sit commutativa, distributiva, et legalis, sicut in Deo attributum justitiæ omnem justitiam includit, et ab illa dicunt procedere satisfactionem Christi. Secunda opinio docet procedere a virtute religionis, quatenus per satisfactionem Deo exhibuit Christus honorem, et cultum, et specialiter se in sacrificium obtulit, quod est actus religionis: ex parte autem Dei fuit acceptata satisfactio a virtute gratitudinis: Lorea hic disp. VIII, num. XIV.

III. Tertia opinio docet processisse a justitia commutativa, et hi etiam sunt divisi. Nam quidam dicunt fuisse ab habitu justitiæ commuta-

tivæ speciei differenti a nostra justitia, cujus solum anima Christi est capax, quia solus ipse potest servare hanc justitiam in ordine ad Deum. Ita Medina in præsentis dubio, tertia responsione ad secundum, et sequitur Alvarez in præsentis disputatione IV, et conclusionem IV, et solutionem ad sextum; Nazarius controversia prima, tertia parte.

IV. Alii ponunt habitum justitiæ ad Deum quam dicunt esse specialem, et distinctam a nostra justitia commutativa, solum ex eo, quod respicit jus altioris ordinis: sicut hac ratione distinguitur fidelitas, qua implemus promissionem Deo factam, et qua hominibus, habetque pro objecto servare jus divinum, ac si læsum fuerit reparare: inveniturque in omnibus hominibus ista distincta virtus a commutativa, et reliquis, quia habet distinctam honestatem, et materiam, atque ita ab illa processit satisfactio Christi, quæ perfecte fuit reparativa divini juris. Ita Suarez disp. IV, sect. V.

V. Denique alii existimant simpliciter processisse satisfactionem Christi a justitia commutativa infusa, quæ secundum suam physicam speciem aliis hominibus communis est, et solum in Christo habet distinctam dignitatem moralem, sicut et gratia habitualis, et aliæ virtutes ab ea dimanantes. Sic Cabrera hic disp. VIII, conclusionem II et III.

VI. Nihilominus resolutorie dico, satisfactionem Christi elicitam esse a virtute justitiæ commutativæ, quæ specialiter, et regulariter invenitur in Christo, non autem in homine puro; ex parte autem Dei acceptantis non correspondet illi formalis justitia commutativa, sed eminentialis. Primam partem hujus conclusionis sequitur cum Medina, Alvarez, et Nazario relatis, et est expressa Cajetani in commentariis ad secundam epistolam ad Corinthios,

cap. V in fine ubi dicit: « Quod passio innocentis pro peccatoribus justitia est satisfactoria, species est justitiæ commutativæ pro injuria solventis pœnam. »

VII. Tamen pro ejus clariori intelligentia est advertendum, quod in nobis ponitur virtus pœnitentiæ ad satisfaciendum Deo, distincta a religione, et a reliquis virtutibus, quæ erga Deum versantur, tamquam pars quædam potentialis justitiæ, id est, tamquam imperfecta quædam justitiæ, quia sicut religio reddit Deo debitum cultum, et ex hac parte habet rationem justitiæ, quæ respicit debitum ad alterum; quia tamen non reddit illud ad æqualitatem, deficit a propria, et perfecta ratione justitiæ, et ita vocatur pars potentialis ejus; ita pœnitentia respicit debitam recompensam pro peccatis faciendam Deo, et ex hac parte habet rationem justitiæ; quia tamen ad æqualitatem non recompensat, ideo est imperfecta justitia, et dicitur pars potentialis ejus, ut constat ex S. Thoma III parte, quæst. LXXXV, artic. III. Et licet Cajetanus sentiat non distingui pœnitentiam a religione, quia recompensa satisfactionis est exhibitio honoris, tamen expresse a D. Thoma distinguitur in IV, distinct. XIV, quæst. I, quæstionum V, quia religio respicit debitum in quantum recepit homo aliquid a Deo per creationem; pœnitentia autem respicit debitum quatenus abstulit aliquid a Deo per peccatum, et offensam. Reducere autem ad æqualitatem debitum ex illatione injuriæ, vel debitum ex acceptatione beneficii, distinctam realitatem, et formalem rationem inducit, sicut etiam inter homines videmus. Hoc ergo supponimus de materia pœnitentiæ, non enim hic tractandum est.

VIII. Quia ergo in pœnitentia invenimus aliquid tenens se ex parte



justitiæ, scilicet recompensatio debiti ex offensa contracti, et aliquid deficiens a justitia, scilicet, quod non ad æqualitatem perveniat recompensandi, si purificetur ab hoc defectu, pertinebit ille actus ad eam virtutem justitiæ perfectæ a qua deficit pœnitentia, et cujus pars potentialis est. Manifestum est enim, quod si aliquis actus deficit a perfectione virtutis propter aliquem defectum eo remoto, et purificato ad eam virtutem perfectam pertinebit a cujus perfectione defecit, et cui subordinabatur ut imperfectum perfecto.

IX. Rursus pœnitentia est imperfecta, et potentialis justitia respectu justitiæ commutativæ, non distributivæ, vel legalis, aut alterius; ut patet ex D. Thoma III part. quæst. LXXXV, artic. III ad tertium, ubi inquit: « Quod sicut est commutatio quædam in beneficiis, ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam; vel voluntarie recompensat, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa personam judicis. Unde manifestum est, quod utraque sub justitia commutativa continetur. » Sic D. Thomas, qui etiam legendus est de hac re in IV, distinct. XIV, quæst. V, artic. I, quæstiunc. IV ad quartum. Cum ergo pœnitentia ex sua ratione, et natura propria versetur circa materiam justitiæ commutativæ, ex defectu autem æqualis recompensationis a propria, et perfecta justitia commutativa deficit, manifestum est, quod quando actus est recompensativus ad æqualitatem offensæ Dei, debet ad perfectam justitiam commutativam pertinere.

X. Dices: Si hæc ratio probaret aliquid, probaret etiam quod gratitudo pertinet ad justitiam commutativam perfectam, quando gratiæ

pro beneficio aguntur ad æqualitatem, quia etiam ibi ponit D. Thomas recompensationem in beneficiis, sicut cum quis gratiam pro beneficio rependit. Item, quod vindicativa justitia reduceretur ad commutativam perfectam, quando iudex omnino æqualem pœnam pro delictis imponit: ac denique, quod religio in Christo esset justitia perfecta, et propria, quia reddit cultum Deo ad æqualitatem; nec enim magis æqualem recompensationem exhibet pro offensa, quam pro cultu, honorando Deum, et colendo tamquam æqualem: hoc autem esset destruere in Christo virtutem religionis; ergo sicut ex hoc non probatur religionem transire ad virtutem justitiæ commutativæ, ita nec satisfactionis actum ad perfectam justitiam pertinere.

XI. Respondetur gratitudinem non solum deficere a commutativa justitia ex parte æqualitatis, (si forte in hoc deficit) sed in ratione debiti, quia gratitudo respicit debitum morale ex honestate convictus proveniens, non debitum legale ex rigore legis, seu adæquate rei ad rem, et contractu, vel quasi contractu, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. LXXX. At vero offendens, et peccans in Deum, lædit debitum rigorosum, multo magis quam qui hominem in honore offendit, ut disputatione præcedenti probatum est; et ideo ex hac parte reduci potest ad perfectam justitiam commutativam, non vero gratitudo.

XII. Similiter dicendum est de vindicativa justitia, quæ ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. LXXX, deficit a debito legali, et rigoroso, et tamen respicit debitum morale, quia sicut gratitudo recompensat in bonis secundum beneficia, quæ quis accipit, sic vindicatio recompensat in malis quatenus propulsat aliorum injurias, mediante publica potestate, et

per seipsum defendit cum modamine inculpata tutelæ, et vim vi repellit. Et tamen ut advertit S. Thomas, quæst. VIII, artic. II ad primum: « Punitio peccatorum, seu retributio in malis secundum quod pertinet ad publicam justitiam, est actus justitiæ commutativæ; secundum vero quod pertinet ad immunitatem alicujus personæ singularis, a qua propulsatur injuria, pertinet ad virtutem vindicationis. » Unde nunquam vindicativa justitia attingit commutativam perfectam, quia nunquam induit rationem debiti legalis, nec enim deficit a justitia ex parte æqualis, sed ex ratione debiti.

XIII. Denique religio, in Christo nunquam reddebat ad æqualitatem cultum debitum, quia licet actiones religionis denominative essent dignitatis infinitæ, sicut et actiones aliarum virtutum, tamen formaliter ex sua specie attingebant Deum sub respectu inferioris ad superius, quia ex specie sua fundabantur in debito creationis, et consequenter pertinebant ad Christum ratione ejus, quod creatum est in illo. Creatura autem semper est inferior creature, et debitum, quod in hoc titulo fundatur, ex sua specifica ratione semper est debitum inferioritatis; atque adeo ex sua specie nunquam pervenire potest ad æqualitatem. Sicut etiam actus timoris in Christo semper est respectu inferioris ad superiorem, quatenus affectu reverentiæ ad divinam eminentiam movebatur anima Christi; cultus ergo religionis in Christo formaliter, et specificative est inferior, et potentialis justitia; denominative autem habet dignitatem æqualem. Et hæc æqualitas, quæ denominative convenit illis actibus non respicitur a religione, quia est extra speciem cultus; respicitur tamen a justitia commutativa, non ad tollendum

religiose, sed ad compensandum juste, et ita quod denominative, et extrinsece se habet in uno, formaliter, et specificative se habet ad alterum.

XIV: Et ex his probatur secunda pars conclusionis, quia objectum specificum justitiæ commutativæ ad Deum non potest inveniri, nec respici a pura creatura; ergo neque est capax talis virtutis. Consequentia patet, quia quod non est capax specificationis, neque etiam est capax specificati; ergo si specificativum est extra limites puræ creature, etiam et virtus, seu actus specificatus. Antecedens vero manifestum est, quia specificativum justitiæ commutativæ in ordine ad Deum est reddere æquale Deo; nullum autem pure creatum est æquale Deo; ergo nullum pure creatum specificare potest talem justitiam commutativam, et sic non erit capax illius pura creatura.

XV. Dices: Justitia commutativa de se solum respicit reddere æquale cuicumque sive homini, sive Deo; et consequenter licet ubi non invenit materiam æqualem in actum respectu talis materiæ, in subjecto tamen in quo invenitur, sicut in Christo, eademmet virtus immutata reddet æquale: neque enim variatur justitia commutativa ex variatione debitoris, vel creditoris, sed ex variatione debiti, et medii, quod constituitur, et honestatis ipsius virtutis, quæ eodem modo se habet erga Deum, et erga homines. Sicut virtutes morales ex eo quod in patria non possint exercere actus, quos hic exercent circa refrænationem passionum, non propterea distinguuntur specie a virtutibus moralibus, quæ sunt in via.

XVI. Sed contra hoc est, quia virtutes respiciunt determinatas regulas, et determinatam materiam regulabilem a ratione modo hu-



mano. Unde ex eo dona Spiritus sancti distinguuntur a virtutibus, etiam supernaturalibus, ut dicit S. Thomas 1-2, quæst. LXVIII, quia dona regulantur ipso impulsu Spiritus sancti, qui excedit omnem humanam regulam: virtutes autem morales habent regulas determinatas modo humano, etiam si virtutes supernaturales sint, quia supernaturalitas solum mutat motivum, et finem, non vero excessum ultra modum humanum ponit. Regulare autem debitum quodcumque, et reducere ad æqualitatem, etiam si sit inter Deum, et homines, excedit omnem regulam, et mensuram humanam, quantumcumque ex supernaturali motivo fiat, quia (ut supra ostendimus) purus homo, quantumcumque gratia sit præditus, non potest ad æqualitatem satisfacere pro peccato; ergo talis regulatio non est debita justitiæ commutativæ, quæ secundum has regulas procedit, quantumcumque sit supernaturalis, et infusa.

XVII. Nec est simile de virtutibus in patria, aut etiam de his, quibus deest propria materia, ut magnificentia, seu liberalitas in paupere, virginitas in corrupta, etc. Tales enim virtutes solum carent materia quasi extrinseca, et remota; non tamen carent formali, et proxima, quia habent regulationem suam, et actum in præparatione animi exercendi se in illa materia, si adesset. At vero in puro homine non potest cadere regulatio, seu dictamen practicum, et efficax satisfaciendi Deo ad æqualitatem, et consequenter neque actus in præparatione animi, etiam efficaci, licet inefficacem habere possit, sicut actus, qui versatur circa impossibilia; sed hoc non sufficit ad virtutem.

XVIII. Denique, tertia pars est contra Capreolum in II, dist. II, qui existimat in Deo esse proprie justiti-

tiam commutativam, eamque exercere quando reddit præmia actibus nostris meritoriis, prout sunt a Spiritu sancto: quem refutat Ferrariensis I contra gentiles, cap. XCII, et eam rejicit S. Thomas I part. quæst. XXI, art. I, et in IV, dist. XLVI, quæst. I, art. II, dum dicit: « In Deo non esse justitiâ commutativam, quia ut dicit Apostolus Roman. II: *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?* » Quod magis explicat solutione ad tertium: « Quia omne debitum vel est debitum Deo, vel rei extra Deum, et creatæ, et Deo quidem est debitum, ut agat secundum decetiam ipsius; extra se autem debet dare id quod convenit alicui secundum suam conditionem; sed hoc debitum dependet ex primo, quia hoc debetur unicuique, quod ordinatum est ad ipsum secundum ordinem divinæ sapientiæ. Et licet Deus hoc modo debitum det alicui, non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed alia ad ipsum. » Sic D. Thomas.

XIX. Ex quo colligimus, quod justitia commutativa formalis, et secundum formalem modum, quo reperitur in nobis fundatur in acceptatione, et exhibitione alicujus quod simpliciter constituat alterum debitorem, ex vi talis acceptationis præcise; et consequenter accipiens ordinatur quasi obligatus ad reddendum ei, quod dedit. Si autem acceptatio, qua aliquis recipit ab alio, sit sufficiens constituere accipientem debitorem per se, et absolute, sed ex suppositione, et ordinatione voluntatis accipientis, talis non reddit ex justitia commutativa formaliter, quia non nascitur obligatio ex acceptis simpliciter, sed ex suppositione, et ordinatione voluntatis accipientis.

XX. Itaque justitia commutativa formaliter respicit debitum rigorosum utriusque partis, non quidem

fundatum in aliqua superioritate unius respectu alterius, sed præcise in ipsa commutatione dati et accepti; atque adeo oportet, quod partes inter quas versatur tales sint, quod quælibet possit obligari, et reddi debitor ex acceptatione, qua accipit ab altero, et quanto magis diminuitur ista obligatio orta ex acceptatione alterius, diminuitur ratio justitiæ compensativi formaliter accepti. Cum ergo (ut supra ostendimus articulo præcedenti) Deus non obligetur acceptare satisfactionem Christi ex vi ipsius satisfactionis absolute, sed ex suppositione voluntatis suæ, volentis ex supremo dominio respectu hominum, quod possit alter pro alio satisfacere, etc. consequenter non acceptat illam ex vi justitiæ commutativæ formaliter: nec enim est Deus capax talis justitiæ, quæ intrinsece imperfectionem importat, scilicet obligationem debiti, ortam præcise ex acceptatione alicujus rei, seu commutatione, non ex ordinatione, et suppositione voluntatis accipientis.

XXI. Est tamen justitia Dei eminentialiter commutativa, quia servat modum justitiæ commutativæ in suis judiciis, et actibus, ut dicit S. Thomas 2-2, quæst. LXI, artic. IV ad primum, et ibi bene explicat Cajetanus, et optime Ferrariensis I contra gentiles, cap. XCIII, quatenus ex duabus conditionibus concurrentibus ad justitiâ commutativam, scilicet, quod servetur æqualitas inter datum, et acceptum, et quod aliquid sit vere datum, scilicet, quantum ad hunc effectum, quod ita sit datum, quod induat obligationem in accipiente ex se, et non ex ordinatione suæ voluntatis, invenitur prima conditio in actibus Dei, et in acceptatione satisfactionis Christi, non secunda, quia prima dicit perfectionem, scilicet facere æqualitatem; secunda

vero imperfectionem, et similiter se habet Deus in præmiatione meritorum, in qua, et exercet distributivam justitiâ, et servat modum commutativæ, quantum ad id, quod perfectionis est, non imperfectionis.

XXII. Et sic omnia argumenta, quæ possunt fieri contra justitiâ commutativam Christi, ex eo quod non correspondet ex parte Dei justitiâ commutativa, vana sunt, quia sufficit reperiri justitiâ commutativam virtualiter eminentialiter, non formaliter. Nec in Christo ponimus justitiâ commutativam, ut Deum reddat debitorem simpliciter, sed debitorem ex suppositione voluntatis suæ, et in ratione justitiæ commutativæ, quantum ad redditionem æqualis, et secundum quod tenetur judicare illam satisfactionem sibi exhibitam, esse æqualem, non solum judicando id speculative, sed practice, id est, quod debet esse contentus illa, nec exigere potest majorem, stando intra limites justitiæ commutativæ, quamvis ut supremus Dominus aliud possit, quod non tollit rigorem justitiæ, obstat tamen ne commutativa formaliter inveniatur, ut dictum est.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXIII. Restat tamen aliquas difficultates expedire. Prima, ex magistro Vincentio, quia virtus illa justitiæ commutativæ debet oriri ex gratia Christi, sicut aliæ virtutes. Voluntarium enim est dicere, quod seorsum infundatur a Deo: in nobis autem est gratia ejusdem speciei atque in Christo; ergo et in nobis debet esse eadem justitiâ commutativa; vel in Christo non est. Et præsertim hoc urget: Si Verbum dimitteret humanitatem, tunc enim in